

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Prosperitas q
cum fonte primo

Presentis uite prosperitas innocencie
testis non est quia multi ad perhennem
uitam per flagella redeunt et plerique ad
infinita supplicia perducendi sine
flagello moriuntur.

Gregorius libro XV. moralium.

Amicis autem beati Iob qui idcirco hunc
iniustum esse crediderunt, quia
flagellatum uiderunt, recte eiusdem
sancti uiri uoce de iniquorum flore et
perditione ostensum est quia
praesentis uitae prosperitas innocentiae
testis non est; quia multi ad perennem
uitam per flagella redeunt et plerique ad
infinita supplicia perducendi sine
flagello moriuntur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 15,
43 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.779,
ll.17-22).